

Recita breuiter praecipuos errores, quos habent pontificij de poenitentia, cum ij primam occasionem dederint emendationi doctrinae euangelij, quae est facta per ministerium reuerendi viri D. Lutheri.

De contritione duos grauißimos errores habuerunt, oportere contritionem sufficientem esse 5 et hanc mereri gratiam seu remißionem peccatorum. De confessione docuerunt enumerationem singulorum delictorum ac praeſertim arcanorum faciendam esse administrantibus sacramenta, et tria horribilia mendacia addiderunt: I. quod enumeratio mereatur remißionem propter ruborem et verecundiam, II. quod recitatio sit necessaria, vt poſit indici satisfactio, III. quod [114:] remißio pendeat ex conditione enumerationis, quam dixerunt diuinitus praeceptum esse. De satisfactionibus horrendum chaos errorum fuit. Affirmarunt culpam remitti propter contritionem et confessionem sufficientem, sed poenam aeternam mutari in poenas temporales et harum partem remitti potestate clauium, partem redimendam esse satisfactionibus. 10

Quos gradus constituerunt satisfactionum?

15

Quinque gradus: I. erant opera indebita seu non mandata lege Dei vt peregrinationes, rosa-
ria, ieunia certorum dierum etc. II. cooptatio in fraternitates, qua participes fierent merito-
rum, quibus abundarent monachi. Inde multi Impp.²⁰³ in veste Franciscana sepeliri se volue-
runt, III. indulgentiae, quas distribuebat certo precio pontifex Romanus et eas affirmabat 20 esse applicationes meritorum, quibus sancti mortui prodessent alijs, IIII. ignis purgatorius,
quem tamen dicebant non esse aeternum, V. vigiliae et missae funebres, quibus animae redi-
merentur ex purgatorio.

²⁰³ Imperatores.